

999

C O D I C E S

1000

Codex:

Editio Lipf.

*primos peccatores ita.**primos homines peccatores videmus ita.**ea poena teneret.**eadem poena teneretur.**ipsi fuerant nascitur.**ipsi fuerant nasceretur.**illius naturarum damnatio.**illius reatus naturam damnatio.**III. ita a naturae.**ea naturae.**immortalis fuerit.**immortalis fieret.**peccatum disci potuisset.**peccatum dici potest.**iusta esse poena quae peccati merito suae praevaricationi successit.**iustam esse poenam quae peccanti merito suae praevaricationis accessit.*

Atque hic Lectoris erit optare.

Bibl. med. Lat. L. IX. p. 197.

CCLXXVI.

VII 8.25.

343

Codex membraneus lat. Sec. saltem XI. Folior. 90. f. luculente scriptus et rubricis distinctus continet *Libros III. de Vita Contemplativa*, qui jam Sec. IX. et deinceps *Prosperi Aquitani* Scriptoris Sec. V. ferebantur, sed a *Sirmondo* et *Tillemontio* adferri sunt *Juliano Pomerio Afro* ejusd. Sec. sed serius in *Gallia* primum *Rhetori*, tum *Presbytero* et *Abbati*, cui etiam jam ab *Isidoro* c. 12. de *Script. Eccl.* tribuebantur, *Gennadio*, dum c. 84. *Prosperi* Scripta enumerat, de iis filente. Ad *Prosperum Parisiis* editum 1711. f. ubi primo loco in *Adpend.* collocantur. In *Cod.* porro nostro hunc titulum praeferunt: *In Dei Nomine Summi Opificis. Incipit Praefatio Libri Prosperi.* Initium: *Diu multumque renisus sum uoluntati tuae. mi domine studiosissime pontificum Juliane &c. Julianum hunc Fabric.*

nescio quo nixus, Episcopum Arelatens. facit, quem *Carpen-toraensem* malim. Praefationi post ea verba: *Sed iam ipsa capitula quae utcumque soluenda proposuisti adtexam*, reipsa Capitulum elenchus insertus est, rectius sane, quam in edit. *Prosperi Lugdun.* 1672. f. ubi post Praef. rejicitur. Absoluto elencho pergit Praefatio: *Itaque iubes ut paucis edisseram quae sit uitae contemplatiuae proprietates &c.* Liber I. lit. uncialib. praefert: *Incipit Liber Primus De Uita Contemplatiua. Quod Ea Sit Uitae Contemplatiuae Proprietas Ubi Deus Mundo Corde Uidebitur.* Initium: *Contemplatiua uita in qua Creatorem suum &c.* Mox a principio deperiisse videntur membranae duae, quae inserto chartae folio accurate subpletae sunt manu Sec. XV. Librum II. praecedunt Capitula ita, ut subsequa Praefatio Capitulum I. censeatur. Liber hic inscribitur: *De Actuali Vita.* Idem ordo observatus in Libro III.

1001

P A T R I S T I C I.

1002

III. qui tantum praenotatur : *Incipit liber tertius. Ad Operis calcem: Explicit prosperi liber tertius uouente (fauente?) domino. Lectio ut plurimum proba est, maxime, cum secundae manus cura accesserit.*

Fol. ult. addita est manu, ut videtur, Sec. XII. sequens Epistola: C (Conradus I.?) Salzpurgensis ecclesie dei gratia quod est. Abbati P. (Petrensi?) ceterisque ibidem fratribus in christo congregatis. cum assiduitate orationum. seruitium deuotum. Quoniam in uicem sumus membra uni capiti scilicet christo adherentes. et alter alterius onera portare debemus. quicquid ex aduerso nobis acciderit. ad uestre portum sanctitatis confugiendo. uobis patefacimus. Nouit caritas uestra qualiter W. (Wezelinus?) abbas iniqua propulsione coactus a loco sibi commisso irregulariter eiektus sit et qualiter dominus bruno non per ostium sed aliunde subintrauerit. De qua re et prius uiua uoce uobiscum egimus sed parum in hoc profecimus. Monendo igitur sanctitatem uestram deprecamur. ut eum monendo. sanum consilium dando ad satisfactionem prouocetis. Si autem uos audire noluerit. licet hunc ordinem causa uestre uenerationis inuitus infestem. secundum ordinis uestri institutum et instituta canonum eum uocabimus. et ad satisfactionem cogemus. Rogamus et ut eundem dominum brunonem monentis quod a nobis ratisbone conuictus se inique egisse confessus est. nec se amplius uelle intromittere

sed ad proprium claustrum redire laudauit. Id est, publico scripto (Laudum) testatus est. Dum quis certiora doceat, coniecturas meas ipsi Epistolae inspersi; non enim aevo illo alium Episcopum C. et Abbatem W. Salisburgi simul egisse inuenio, quam Conradum I. et Wezelinum. Nisi quis dicat literam illam P. sub initium non Coenobium Petrense, sed aliud quoddam in Dioecesi Salisburg. significare.

Codicem nostrum ad Lambachense olim O. S. B. in Austria super. Monasterium pertinuisse, innuere videtur vox Lambach summae fol. 3. p. 2. orae inscripta.

CCLXXVII. VII 2. 21

Codex membraneus lat. Sec. 259 X. Folior. nunc 188. f. pro diuersitate opusculorum, quae in sunt, non una manu, sed ut plurimum nitide exaratus, rubricis distinctus, magnique pretii, continet: I. Bonifacii patrio nomine Wynfrethi, Winfridi, Wenefridi, Angli ex Monacho Archiepiscopi Moguntini et Germaniae Apostoli, demum a Frisii gentilibus anno Chr. DCCLV. ut tenet Pagius ad h. a. interfecti, plurimumque Pontificum, Regum, aliorumque Epistolas CXVII. quas ex hoc ipso Codice XXXIV. aliis ex Cod. Ingolstadiensi auctas in lucem dedit vir doctus Nicolaus Serarius S. J. Moguntiae 1605. 4. exemplaribus quibusdam annum 1629. praeferebantibus, non incelebri Typographorum mendacio.